

L.

et in Corsicam loco qui dicitur Proprianum die 16. dicti mensis applicuit, descenditque in terra totus exercitus in planitie Barexe, ibique tribus diebus permansit, equos restaurans et alia necessaria preparans. Iudex vero Cinarche ea die ex opposito se posuit in montanis cum suis militibus et peditibus licet paucis. Vicarius autem predictus expectans milites Sardos 25 cum virgis, qui de Alegherio Sardinie venire debebant, interim que poterat devastabat. Milites quidem Sardi die 29. dicti mensis applicuerunt ibidem, ac sine mora descendentes in terram die sequenti cum toto exercitu ascendit versus castrum Roche de Valle contra Iudicem supradictum, ipsumque et ipsius comitivam usque ad summitatem montium effugavit; et cum ipsum capere non posset, rediens cepit villam Ulmeti, et in continenti ad obsidionem castrum iam dicti se posuit, et velociter unum trabucum contra illud erigi fecit, qui cum diebus duobus traxisset, continue qui intus erant timore moti castrum iam dictum in forciam dicti vicarii die 8. Iunii tradiderunt. Illi vero qui erant in castro Istrie pro dicto Iudice, hec scientes, igne de nocte in eo imposito recesserunt. Die vero 10. dicti mensis illi etiam, qui erant in castro Ornanni, eo derelicto fugierunt, et dictus vicarius illud pro comuni munivit. Iudex autem predictus videns

K.

et in Corsica loco qui dicitur Proprianum applicuit, die 16. eiusdem mensis *ibi descendit in terra, ubi stetit diebus tribus restaurans equos et preparans alia necessaria*. Iudex vero Cinerche ea die ex opposito se posuit in montanis cum equitibus et peditibus paucis. Dictus vero vicarius

die tertia cum suo exercitu perrexit versus Rocham de Valle. Cumque esset in dicta planitie, ecce dictus Iudex ibidem accessit cum toto suo exercitio militum et peditum. Dictus vero vicarius preparavit pedites et balistarios ad expugnandum castrum quod dicitur Ulmetum, sed in continenti ad mandatum ipsius vicarii venit; quo viso Iudex predictus cum tota sua gente recessit. Trabuchum vero et bricolas contra Rocham de Valle elevari fecit dictus vicarius, et per dies circa 15 dictum locum obsidens, et trabuco et ingeniis illud percutiens, venerunt ad ipsius mandata.

Iudex de captione Roche audiens